



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

De matrimonio confirmato, & comparatione amoris sponsi & sponsæ, ac de  
duobus bonis matrimonij quæ sunt, fides & proles, & quomodo hæc  
spiritualiter sint inter Deum & animam. Cap. C.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

do contra persecutiones. Si quis autem noscitur in his tribus esse perfectus, non solum feliciter, sed & suaviter amat. Sanè si non poterit esse affectuosus, sit tamen discretus & fortis: & si non ad presentem suauitatem, non minus proficiat ad futuram felicitatem.

*De matrimonio confirmato, & comparatione amoris sponsi & sponsæ, ac de duobus bonis matrimonij que sunt, fides & proles, & quomodo hæc spiritualiter sint inter Deum & animam. Cap. C.*

**D**ilectus meus mihi, & ego illi. Secundò verò matrimonium spirituale confirmatur in profectu virtutum, vt verius iam dicere possit sponsa: *Dilectus meus mihi*, scilicet intendit, & *ego illi*. Quid sibi vult inter tam dispares ista comparatio, vt sponsa dicat: *Dilectus meus mihi, & ego illi*? Itane huic intèta est illa maiestas, & cui cura seculorù incùbit, ad sola transfertur negotia, vel potius oria amoris & desiderij huius. Ita planè. Nam etsi prouidentiam cæteris creaturis nõ negamus, curam tamen sponsa vendicat sibi Apostolo Petro dicente: *Omnè sollicitudinem vestram proyicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* 1. Pet. 5. Quasi diceret: Intendite illi, quia intendit vobis. Quid mirum, si curã illius habet, q̄ adeò dilexit, quòd pro illa semetipsum liberaliter obtulit? Vides quomodo non solum de amore suo te certum reddat, si tu diligis eum; sed etiã de sua sollicitudine, quam pro te gerit, si te senserit sollicitum sui? *Vigilas tu, vigilat ipse.* Et quantumcunq; acceleraueris ipsas anticipare vigilias, eum inuenies, non præuenies. Ego, inquit, *diligentes me diligo, & qui mane vigilat ad me, inuenient me.* Nam magis amat, & ante. Amor enim illius amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio animam facit intentã, sollicitudoque sollicitam. Si hæc anima scit, imò quia scit, miraris, quòd illam maiestatem, quæ cætera non curantem, soli sibi gloriatur intendere: cui soli, postpositis curis omnibus, ipsa tota deuotione intendit. Mirum dico quidem, sed verum, animam Deum videntem haud secus videri, quam si sola videatur à Deo, moxque Deo conformatur, & in eandem imaginem transformatur. Ea ergo fiducia dicit illum intendere sibi, seque illi, nihil præter se & illum intendens. *O quàm bonus es Domine anima te querenti,* affectuosè, discretè, fortiterque diligenti, te sponsum exhibens, occurris & amplecteris. *O felix anima, quæ tantæ dulcedinis benedictione meruit præuenire,* cui tantæ suauitatis completum.

Matrimonij mystici confirmatio.

1. Pet. 5.

Prouer. 8.

Amor sponsi ad spòlam.

Thren. 3.

xum donatum est experiri. Vides quam magna res est amor, si tamen ad suum recurrat principium, si sita origini redditus, si suo refluxus fontis, semper ex eo sumat, unde iugiter fluat. Merito siquidem cunctis alijs renuntians affectionibus, soli & tota incumbat amori, quae ipsi amori respondere habet amore in rediligendo. Nam & cum se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluuium? Non enim pari vbertate fluere possunt amans & amor, anima & verbum, sponsa & sponsus, creator & creatura, non magis quam sitiens & fons. Quid ergo? Peribit propter hoc, & ex toto euacuabitur nuptura votum, suspirantis desiderium, amantis ardor, & praesumētis fiducia? Non. Nam si minus diligit creatura, quia minor est, tamen si ex tota sed diligit, nihil deest ubi totum est. Propterea sic amare, nuptisse est. Haec Bernardus inter alia.

Matrimonij  
bona quae  
sint.  
Oseae 2.  
Fides inter  
Deum &  
animam.  
Iob 7.  
Ierem. 12.  
Fidelitas  
sponsae in  
tribus.

Ceterum iam prosequamur de bonis matrimonij, quae sunt fides, proles, & Sacramentum, quae tangit Dominus apud Oseae, dicens: *Sponsa bo re mihi in fide*: ubi tangit primum bonum, quod est fides, id est, fidelitas, quam sibi inuicem debent exhibere coniugati. Conseruatur autem fides inter Deum & animam, quando cor Dei & animae sibi inuicem subiiciuntur & obsequuntur. Apponat igitur anima Deo cor suum, sicut & animae Deus appositur cor suum, ita vt miraretur Iob, dicens: *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Vnde sponsus ex amoris vehementia, non curauit quid de se fieret, dummodo sponsam dilectam consequeretur & possideret. Sic curare non debet sponsa quid fiat de ea, dummodo sponsum suum consequi & possidere valeat, propter sponsum seipsam, & omnem aliam creaturam nihili pendens, sicut sponsus seipsum & sua penitus negligisse visus est, dicens: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam: dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius.* Et haec fidelitas in tribus consistit. Primo, vt sponsa soli sponso intentione recta ac deuotissima dulciter & perseveranter intendat. Amor enim vehemens semper sursum vult agi, nec ullis infimis rebus retineri. Vult esse liber & alienus ab omni affectione extranea, quia amore nihil dulcius, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil iucundius, nihil melius inuenitur, quia nascitur ex Deo, nec potest nisi in Deo super omnia quiescere, perfecte contemnens omnia prospera, & complectens omnia aduersa, vt in dilecto quiescat super omnia. Secundo, vt in dilecti amore dumtaxat delectetur. Et hoc significatur per anulum desponsationis. Sicut enim

eni in digitum annulus nec excedit, nec exceditur, sed eidem adæqua-  
 tur, sic cor ei, cui desponsatum est, debet adherere, nec amorem alienū  
 quemcūq; recipere. Quia sicut anima duo corpora simul inhabitare  
 non potest, sic nec duos amores diuersos, scilicet Dei & mundi, simul  
 suscipere potest. Ideo, secundum Augustinum, totum exigit te, qui fe-  
 cit te. Vnde sicut ignis, qui simpliciter leuis est, secundum Philosophū,  
 fertur ad locum, qui simpliciter est sursum, & eum transcendere non  
 valens, cōtra naturā motus recti circumuoluitur in sphaera circa ipsam.  
 Sic semper amor Dei purus, ad altissimum Deum eleuat, & tamen ad  
 eius comprehensionem conscendere non valens, mouetur semper cir-  
 ca diuina, sub ratione diuina, cuncta contemplando & amando, *ut sic*  
*Deus omnia sit in omnibus.* Semper enim amor Dei mouetur sursum  
 in amatum, cetera contemnendo, in quantum in suis naturis subsi-  
 stunt, quæ reputat Apostolus *ut stercora, Deum diligens ex toto corde,*  
 cogitando omni industria, qua potest, quomodo Deo placeat: & *ex to-*  
*ta anima,* collocando in eo, tanquam in ultimo fine, cuncta deside-  
 ria sua, & *ex tota mente,* in Deum directa, & eidem ex amore vnita, sic  
 delectando in operibus bonis, ex eorum connaturalitate, quod nulla  
 fatigatione, quam nec percipit, ab eisdem deflectatur, utpote cui ni-  
 hil dulcius, quam respicere in mandatis Dei, quæ sunt ei desiderabilia  
*super aurum, & lapidem preciosum, & dulciora super mel, & fauū.* Et hoc  
 est tertium, in quo consistit fidelitas, quod soli dilecto placere studeat.  
 Secundum bonum matrimonij est proles spiritualis in agendo, ca-  
 uendo, & sustinendo: quæ proles procedit ex semine diuinæ gratiæ,  
 & libero arbitrio, quibus filij spirituales procreantur. Et hoc bonum  
 matrimonij notat sponsus, cum adiungit: *Sponsabo te mihi in iustitia,*  
*& iudicio, & misericordia, & miserationibus.* Vbi tangit primò iustitiā,  
 quæ sibi ipsi debet: secundò misericordiam, quam debet proximo. Hæc  
 autem est iustitia, qua generaliter declinat ab omni malo, & facit bo-  
 num: qua tamen facienda sunt cum iudicio discretionis, præsertim  
 quantum ad opera satisfactionis & penitentia: misericordia verò, &  
 miserationes spectant ad proximos, ut misericordia in donando, vel  
 condonando: miseratio verò in compatiendo. Vnde dicit D. Chry-  
 sostomus: Qualem vis ut tibi se Deus exhibeat, tale in te proximo stu-  
 deas exhibere, scilicet charitatum, beneuolum, mitem, mansuetum,  
 pronum ad indulgendum, & in omnibus gratum, patientiaque deco-  
 ratum. Nam in confirmatione matrimonij per verba de præsentī, so-  
 lent in

1. Cor. 15.

Philip. 2.

Deut. 6.

Psal. 118.

Proles my-  
stica.

Os ex 2.

Iustitia.

lent in quibusdam locis astantes se verberare mutuo, dicentes: Tene de nuptijs: sic sponsus tuus in nuptiarum confirmatione, scilicet passionis tempore, cum tota animi promptitudine de nuptijs opprobria, liuores suscepit & vulnera, ne partem suam de nuptiarum ictibus portare grauetur & sponsa. Vnde Bernardus: Notam tibi fecit Deus dilectionem suam, experiatur & tuam. Nō illum vicere peccata tua, teq; illius flagella non superent: sustinuit te dilectus, sustine & tu dilectū. Alioqui quādo redisses ad eum, nisi tibi ille perseverasset, nisi clamasset: *Reuertere, reuertere Synamitis?* Esto igitur & illi perseverans, vt nullis ab eo flagellis aut laboribus auentaris: quia *regnum calorū vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et tunc verum exhibes amoris indicium, quia, secundum Chrysostomum, in tantum succensus ardet amore Christi perfectus amator, vt etiā si ipsas immortales flammās adhibeas, nesciat, non sentiat, non vratur: quia multo vehemētiore est ignis Christi, quo per amorē intus vratur. Ardentiore namq; desiderio constructus, ita suffert omnia, quōd ex his, quas patitur, pœnis, solatia magis amoris sui capiat, quā dolores corporis sentiat. Dolor enim non est, nisi vbi amor & gaudium carnis fuerit. Qui ergo in carne viuunt, in carne sentiunt, & illis dolor corporis est grauis, quia suaue fuit eis gaudium corporis. Qui autem in spiritu viuunt, in spiritu sentiunt, nō in carne. Vnde etiam illis deuastatio carnis non est grauis, quia non fuit illis suaue gaudium carnis. Ita enim debet amari sponsus Christus, & sic eius amor debet animam hominis à rebus præsētibus alienam facere, quōd nec ipsam sentiat corporalem pœnam: seipsum enim, quodammodo perdere tanquam quōd non sit, & omnino non sentire se ipsum, à seipso etiam exinaniri, & penē annullari celestis est conuersationis, non humanæ affectionis, quibus maximè promeretur. Sponsus Vnde dicit Origenes super Cantica, quōd plurimi Græcorum ostendere conantur, non aliud esse, nisi vim amoris, quæ animam de terris ad cellā cæli fastigia perducit, nec ad summam peruenire beatitudinē, nisi amore animi desideria prouocantis.

*De tertio bono matrimonij spiritualis, quod est Sacramentum inseparabilitatis, quod requirit mutuam vnionem, & felicem liquefactionem. Cap. CL.*

Sacramentum matrimo-

**D**ilectus meus mihi, & ego illi. Tertium verò bonum matrimonij spiritualis est Sacramentum, vt anima sponsa nunquam à Christo spon-